



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Cap. LXVIII. De Vestitus Modestia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

CAP. LXVIII.

DE VESTITVS MODESTIA.

§ Denique Modestia moderationem adhibet ve- Modestia in
stitui, de quo Tull. l. i. off. *Virtus cultusq; corporis vestitu.*
ad valetudinem referuntur, & ad vires, non ad voluptatem. Atq;
etiam si considerare volumus, que sit in natura excellentia &
dignitas, intelligemus quam sit turpe diffuere luxuria, & deli-
cate ac molliter viuere, quamq; honestum parce, continenter,
seuere, sobrie. Et post: Adhibenda est munditia non odiosa,
neq; exquisita nimis, tantum qua fugiat agrestem & inhumana-
nam negligentiam. Eadem ratio habenda est vestitus: in quo
sicut in plerisq; rebus mediocritas optima est. Quæ medio-
citas secundum D. Ambros. lib. i. off. cap. 19. in eo posi-
ta est, vt vestitus non sit affectatus, sed naturalis & simplex, ne-
glectus magis quam expetitus, vt honestati, vel necessitati nihil
desit, nihil accedat nitore. Vide S. Thom. 2. 2. q. 169. art. 1.
& 2. S. Basil. in regulis breuioribus interrog. 50. docet
illum, qui in vestitu, quæ sunt maioris sumptus reiicit,
assumit autem quod vile est, quia se deceat, si idcirco
vult quod se deceat, vt hominibus placeat, ostenta-
tionis vitio laborare. Verum de moderatione vesti-
tus, quia ejus in Clericis insignis est abusus jam nunc
vberius est differendum, attamen

Hunc seruare modum nostri didicere libelli,
Parcere personis, dicere de vitis.

Neque dicam, nisi quod cum sacra Scriptura & Sancti
& docti dixerent Patres.

§. Vt modestiam famamq; seruet moderatus cor- Vestis viri
poris cultus Clerico vtendus. Qualis quisque sit in-
dicat corporis cultus. Hinc Ecclesiast. c. 19. v. 27. *Ami-*
ctus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enunciant,

Ddd 5 de

de illo Sanctus Cyprianus libr. de habitu Virgin. Continentia, inquit, & pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus & ornatus honore pariter & pudore. Ergo comptuli Ecclesiastici parum aestimantur pudici sibi que probro sunt & ignominia. Parem, ait ibidem D. Cyprianus se integritas in omnibus praestet, nec bonum corporis cultus infamet. Mundi pompis & delitiis iam tunc renunciauimus, cum meliorem transgressu ad Deum venimus. Ornamentorum ac vestium insignia & lenocinia fornicarum, non nisi prostituta & impudicis feminis congruunt. Et nullarum fere pretiosior cultus, quam quarum pudor vilis est. Nirens cutis ait S. Hieron. epist. 47. cap. 3. sordidum ostendit animum.

§. S. Bernard. Apologia ad Guilhelmum Abbatem. Apostolus ait, ita loquitur 1. ad Tim. 6. habentes victum

Religiosi in vestitu curiosi iuste reprehenduntur. & vestitum his contenti sumus. Nobis autem est pro victu factum, nec vestitum appetimus sed ornatum. Queritur ad induendum non quod vilius, sed quod subtilius inuenitur: non quod repulsa frigus, sed quod superbire compellat, non denique, iuxta regulam, quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imo vana ostentari. Quis de seculo quantumlibet honoratus, etiam rex, etiam si imperator ille fuerit, non tamen nostra horrebit indumenta, si suo sibi modo preparata fuerint, & aptata. Ceterum in habitu, inquit, non est religio, sed in corde. Bene. Et cordis thesauro sine dubio procedit quicquid foris apparet vitium.

Splendor vestium vani cordis indicium. Vanum cor, vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi molliem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.

Sumptuosas vestes superbia curat. §. Quod vero non solum vanitatis & mollium, sed etiam pretiosis indui vestibus sit superbia, inde colligit S. Greg. hom. 14. in Euang. cum ait: Quod pro solatiis gloria vestimentum pretiosius queritur, res ipsa testatur, quia nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non potest videri.

videri. Quo pertinet illud Socratis ad Xanthippem conjugem singulari se veste induentem, vt ad pompam spectandam prodiret, dictum: *Hanc, inquit, non spectandi causa, sed potius vt specteris, habes.* Sicut habet *Ælianus* lib. de var. histor. Quot simia apparent in pupura, & quanta sapere sub sordido pallio latet sapientia? Vestis non ornat virum sed vir vestem. Hinc plerumq; Imperatores Reges, magni Principes communi ac vulgari vtuntur amicta, vt nostro sæculo in Maximis illis Austriaicis cernitur Principibus.

§. Sanè B. Martyr & suauissimus Doctor Cyprian. libro de disciplina & habitu Virgnum in illis & vestium ornatum reprehendit, quanto magis in viris Ecclesiasticis Deo consecratis? *Paulus, ait, ad cultum atque ornatum tuum iusto fine moderandum, sua voce prescribit.* Sint, inquit, 1. Tim. 2. v. 9. *mulieres cum verecundia & pudicitia componentes se, non in tortis crinibus, neq; auro, neq; margaritis aut veste pretiosa, sed vt decet mulieres promittentes castitatem per bonam conuersationem.* Item Petrus ad hæc eadem præcepta consentit, & dicit 1. epist. 3. v. 3. *Sit in muliere non exterior ornamentum, aut auri, aut vestis cultus, sed cultus cordis.* Quod si illi mulieres quoq; admonent coercendas, & ad Ecclesiasticam disciplinam religiosa obseruatione moderandas, que excusare cultus suos soleant per maritum: quanto id magis obseruare virginem fas est, cui nulla ornatus sui, competat venia; nec deruari in alterum possit mendacium culpa, sed sola ipsa remaneat in crimine? Cæterum si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te inuenturis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi somenta succendas, vt etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas; excusari non potes, quasi mente casta sis & pudica. Redarguit te cultus improbus & impudicus ornatus, nec computari iam potes inter puellas & virgines Christi, que sic vis ut possis adamari. Sic in Scripturis sanctis Ap. 17. v. 1. 2. 3. 4. Eccles. 9.

Notent hæc
calamistra-
ti, annulati
viri.

Mulier com-
pta gladius
& venenū,

quibus

Superbus habitus meretricius.

quibus nos instrui Dominus voluit, & moneri, describitur civitas meretrix, compta pulchrius & ornata, & cum ornamentis suis, ac propter ipsa potius ornamenta, peritura. Et venit, inquit, vnus ex septem Angelis habentibus phialas septem, & aggressus est me dicens: Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnae, sedentis super aquas multas, cum qua fornicati sunt Reges terra. Et duxit me in spiritu: & vidi mulierem sedentem super bestiam, & mulier illa amicta erat pallio purpureo, & coccineo, & adornata erat auro & lapidibus pretiosis, & margaritis, tenens poculum aureum in manu sua plenum execrationum & immunditia, & fornicationis totius terra.

Poenam sumptuosos vestitus.

Clamat etiam Spiritu sancto plenus Isaias cap. 3. vers. 16. ad cap. vsq; finem, & filias Sion auro & argento, ac veste corruptas increpat, & obiurgat perniciosis opibus affluentes, & Deo per saeculi delicias recedentes: Exaltatae sunt, ait, filiae Sion, & ambulauerunt alto collo, & nutu oculorum, & incessu pedum trahentes tunicas, & pedibus simul ludentes. Et humiliabit Deus principales filias Sion, & reuelabit Dominus habitum earum, & auferet Dominus gloriam vestis illarum, & ornamenta earum & crines, & cincinnos, & lunulas, & discriminalia, & armillas, & borronatum, & dextralia, & annulos, & in aures, & serica contexta cum auro, & hyacintho. Et erit pro odore suauitatis puluis, & pro cingulo veste cingeris, & pro ornamento capitis aureo caluitium habebis. Hoc Deus culpam denotat: hinc corruptas esse virgines, hinc à cultu vero atq; vino descivisse pronunciat. Exaltatae ceciderunt: compta turpitudinem sceditatemq; meruerunt: sericum & purpuram induta, Christum induere non possunt: auro, & margaritis, & monilibus adornata, ornamenta cordis ac pectoris perdidit. Quis nō id execretur & fugiat, & aliis fuerit exitio? Quis id appetat, & assumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo? Si hausto poculo moreretur ille qui biberat, venenum scire esse quod ille potauit. Si accepto cibo, qui acceperat, interiret; scires esse lethale quod acceptum potuit occidere, nec edere inde nec biberes, vnde interisse alios ante conspiceres. Nam quanta

quanta ignorantia veri est, animi quanta dementia, id velle, quod & nocuerit semper, & noceat: & putare quod inde ipsa non pereas, vnde alios interisse cognoscas? Non miserantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla de armillis & monilibus catena pretiosa; sint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo Deo digni. Hæc D. Cyprian. in magnam illorum Clericorum suggillationem, qui instar muliercularum crispantibus vel retortis crinibus annulis & armillis, sericis ac dissectis vestibus & calceis tanquam proci per compita, fora, loca publica volitant & fœminarum in se oculos convertunt.

C A P. LXIX.

IN MULIEBREM CLERICORVM

ornatum inuictiua.

SANCTUS Bernard. in Declamatione: Ecce nos reliquimus omnia. Videtur, ait & S. David Psalm. 72. cauterio graui inurere quosdam, ipsi viderint quos hac parabola tangat. In labore, inquit, hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia. Habent enim singula quæq; genera hominum laboris aliquid, aliquid voluptatis. Sed aduertere est prudentiam aliquorum, & mirari quemadmodum nouo inter hæc artificio discernentes, & ab inuicem sequentes ea, totum qd delectat, eligunt & amplectuntur: qd molestum est, fugiunt & declinant. Cum militibus nempe superbia fastus, amplam familiam, & nobiles apparatus, equorum phaleras, accipitres, aleas, & similia quæq; frequentant, aliqui forte & dependentes à collo rubricatas murium pelles, ornatos thalamos, balnea, & mollitiem omnem atq; gloriam vestium à mulierculis mutuuntur. Cautè omnino lorica pondus, & insonnes in castris noctes incert. qd discrimina praliorum, muliebre quoq; verecundiam & disciplinam, aut si quid aliud sexus ille laboris

Quidam
Ecclesiastici
Angelis ho-
minibusque
ridiculi.

Sapientes ve-
faciant ma-
lum.

Quid à fœ-
minis mu-
tuantur Ec-
clesiastici.